

www.e-rara.ch

Monomachia Davidis et Goliae & allegorica eiusdem expositio, heroico carmine descripta

Gwalther, Rudolf

Tiguri, [1541]

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: U 253,4

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-667>

Monomachias Davidis et Goliae liber primus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

MONOMACHIAS

DAVIDIS ET GOLIAE

Liber Primus.



ENS mea leta nouo uatum commo Propositio:
ta furore

Aonias undas & amcenos flore uirenti
Parnasi uernos gestit cōscēdere colles,

Carminibusq; nouis paucis tentata priorum

Dicere: tessēi iuuenilia praelia uatis,

Altigradum ut uictrix illius dextra Gethæum

Vicerit & patriam pulchris adiuuerit ausis.

Christe decus uatum fœlici numine nostra

Inuocatio:

Pectora contingas, sacrum mihi funde liquorem,

Vt possim solito maiores pectoris astus

Te duce laurigero fœlici dicere Musa.

Ver erat & blandis Zephyris pallemia terræ

Narratio:

Frigora mutabant letis successibus annum:

Iam niue depulsa pratis fœcunda redibant

Gramina, iamq; nouis crepitabat frondibus arbor

Cum cupiunt læti solitos renouare labores

Agricolæ duram scindentes uomere terram.

Nunc aliquis nigris commendat semina sulcis,

Ah miser hostili casura hæc semina falce.

Deniq; quisq; suis intentus pectora curis

Instat & in longum spem campis educat annum.

B

MONOM. DAVIDIS

Cum subito exoritur crudeli gente Philisteus
 Gens inimica Deis, immanis, perfida, fallax,
Luxuriosa, superba, minax, crudelis, iniqua,
 Contemptrix superum, uenerandi nescia iuris
Nil nisi uicinos & amicos ledere docta,
 Quæ noua sperati conturbans gaudia ueris
 Irruit & lato deuastans agmine campos
 Iudaicos, anni spem primis perdit in herbis.
 Iam calcata iacent dura per fossa colonum
 Arua manu, primæ segetes sunt pabula equorum.
 Agricola hostiles cernentes robore duro
 Tam seuire manus, agris uillisq; relictis
 Tendentes tristes ad cœli numina palmas
 Orant auxilium, trepidans tunc urbibus altis
 Inuolat hostilem metuens gens rustica turbam.

Consilium proceres capiunt quos regia Sauli
 Continet ut possint hostilia uiribus arma
 Perdere & infausam patriæ depellere cladem.
 Quos inter Saulus princeps animosus & audax
 In manibus uitam, spem uitæ ponit in armis,
 Et certare manu uiresq; repellere per uim
 Instituit fortis. Non hæc sententia fati
 Stabat, ut instructus telis aut milite forti
 Hostiles posset patriæ depellere turmas.
 Quo ruis infœlix? quis te furor improbus urget?
 Quo properas Saul? siste pedem non fortibus armis

Milite nec lecto depelli hæc agmina campis
 Iudaicis poterunt, tuus hic armatus inermis
 Ausugiet miles, Non hunc qui uiribus isti
 Hosti præualeat tua regia continet alta,
 An nescis quod te reprobum fortissima fecit
 Quæ mare, quæ terras, quæ cælum dextera terret?

1. Reg. 17.

Quo feror? an possunt peruersi pectoris æstus
 Frangere ueridicæ uoces, uel uerba disertæ?
 Hicruit ab proprijs immanem uiribus hostem
 Propulsare uolens figitq; patemia castra
 Oppositas lato peregrinas agmine turmas
 In Soccoth cernens & plenos milite montes.
 Sed quoties uoluit dextra tentare potenti
 Hostes, huic toties miles diffugit inermis
 Donec crudelem Goliam Iesseius Heros
 Vicit & hostili persudit sanguine campum,
 Quem proprijs cæsum cognoscens hostis ab armis
 Territus exhibuit telis sua terga petenda.

Vt uero iuuenis manibus uictoria parta est,
 In patrias ædes insigni laude triumphans
 Iudeus redijt: Dauidem regia Sauli
 Accipit & merito iuuenem dignatur honore.
 Huius at interea fraternis laudibus actus
 Frater Samma patrem cupiens hilarare senecta
 Tardatum gelida patrias diuertit in ædes,
 Quem solum aspiciens (cursu nam uicerat omnes

MONOM. DAVIDIS

Vt primus laudis fraternæ nuntius esset)
Iesse pater titubans affatur uoce senili.

Iesse ad
Samma
filium.

Dic mihi Sāma precor, quis te mihi cursus anhelus
Affert? aut nobis quæ tristia nuntia portas?
An salui fratres alij, num saluus & ille est
Dauid, languentis columen spesq; una senectæ
Quem modo dimissis ouibus uos uisere iussi
Addens quæ forti ferrentur dona tribuno,
Dic mihi num ualeat? uel quis manet exitus illum?

Dixit & affectus male gratis tristia curis
Pectora sollicito consedit corpore, at illum
Vt paulum fessas uires animumq; recepit
Filius attonitum solatus talibus inquit.

Samma
patri.

Non te cura pater teneat, non luctus inanis
Deuoret infirmo confectum corpore pectus.
Omnia salua tibi, salua est tua sola uoluptas
Dauides, & eximio cumulatus honore,
Egregia uictor ceu princeps laude triumphat.
Mira fero genitor, quæ uix qui uiderit ipse
Credere sustineat, quæ sit Dauidica uirtus
Mascula, quæq; modo iuuenilibus egerit annis.
O utinam digno possem sermone referre
Omnia, quò nati uirtutem discere posses.
Ah precor hæc aliquis nostræ clarissima gentis
Facta uelit scriptis alijs mandare legenda.
Nunc iacet infœlix sæua cum gente Philisteus

Et

Et nostræ perijt terræ immanissima pestis,
 Occubuerunt uiri qui nos sine fine nocendo
 Armigeris manibus campos uetere paternos
 Excolere, & uacuum fecerunt messibus annum.
 Sed ne longa nimis uerborum copia pectus
 Discendi teneat cupidum, nunc ordine cuncta
 Pandam, quæ domini uirtus, quæ robora fratris.

Vt primum placuit depellere fortibus armis
 Hostiles acies, proceres de gente supremos
 Elegit Saulus, qui instructi milite prompto
 Exciperent iunctis iniustum uiribus hostem.
 Præconesq; citi totam uelociter oram
 Circuitu lustrant cunctos ad bella uocando,
 Nec uox uana fuit, regis nam uoce uocantis
 Permoti ueniunt quotquot florentibus annis
 Fortes hostili poterant se opponere dextræ,
 Armatoq; nitent Solymorum milite muri.

Prima tribus uenit sancti fortissima Iudæ
 Exhibuitq; feras præstanti corpore uires.
 Dux erat insigni clarus uirtute uirorum
 Asada consilijs prudens & robore fortis.
 Huic caput alticomum defendens ferrea cassis
 Tollebat pictas ad lucida sydera cristas,
 Atq; trilix auro compacta & fortibus hamis
 Lorica egregium defendit tegmine tuto
 Corpus, crura ocreæ, atq; armillæ brachia claudunt,

Narratio
 Sammæ.

Iudas.

MONOM. DAVIDIS

Ast humero magnus dependens ensis in arcum
Falcatur curuum, fortem fera lancea dextram
Armat, & ingentem clipeum sua læua tenebat,
Tergora quem tauri duris septemPLICEM in orbem
Includunt nervis, octava at ferrea lucet
Lamina, quam cingit purgati circulus æris.

Beniamin. Hinc uenit instructus telis & milite forti
Beniamin, haud uanos respirans pectoris æstus,
Jonathan his princeps Sauli fortissima proles,
Et uirtutis amans, quo non præstantior alter
Aut armis terrere uiros, aut promere doctum
Consilium uerbis. Dignus meliore parente.

Simeon.
Gen. 34. Hos Simeon sequitur ueteris non immemor ausi
Quo Sichem cecidit uiolata ob stupra sororis.
Hos ducebat atrox immani pectore loram,
Qui primos ualidis armis transegerat annos.
Huic etenim genitor fuerat fortissimus heros
Tubalcain, quo non ludæis fortior alter
Horrida bellaci poterat deducere dextra
Prælia, qui natum castris nutriuit, & armis
Instituit molles uti fulgentibus annos.

Ephraim. His comes est ingens crudelibus Ephraim armis
Gens assueta truci semper pugnare duello.
Gens inimica doli, sed apertæ commoda pugne.
Phinees his princeps, dextram cui claua trinodis
Armat, pantheræ defendit pectora pellis.

Hinc

Zabulon,

Hinc celer adproperat terra deductus & alto
 Assiduus Zabulon, pelago deducere classem
 Doctus & insanis immanes flatibus Euros
 Vincere, terrestri gens non incommoda pugnae.
 Hos ducens Iosue ferrata casside crines
 Presserat, at Leuum defendit parma lacertum.

Dan,

Venit & insidijs aptus Dan fortis in armis
 Consilioq; potens, quorum dux seuus Iacob
 Callidus audaci scibat concurrere pugna,
 Corpore parvus erat, sed mentis uiribus audax
 Consilij poterat multorum uincere uires.

Hinc coniuncta simul producunt agmina prompti

Isachar,

Isachar in castris ualidus, sed fortior armis
 Aser & audaci doctus concurrere pugnae.
 Imperat his acer lucenti casside clarus

Aser,

Armipotens Iaphet, qui iam florentibus annis
 Prima exercebat uarij ludibria Martis:
 Illos insignis Ionadab cui plurima rerum
 Cognitio circum spargebat tempora canos.

Hic quamuis multis curis depressus & annis
 Effset & extremae sentiret tempora uite,
 Non tamen audaces posuit de pectore uires,
 Sed stabant ualide, coniunctaq; fortibus armis
 Ambitio etati semper cognata senili.

Et quantum iuuenes prestabant robore, tantum
 Prudens ingenij iuuenilia pectora dote

MONOM. DAVIDIS

Manasses.
Ruben.
Gad.

Vinebat, quæ bellorum non infima laus est.

At postrema tribus Manassis maxima uenit

Et saeuus Ruben Gadei & militis arma

Hæc pugnare manu prompta & studiosa laborum

Gens tardata fuit, subito nam Iordanis ingens

Fluctibus altisonis surgens & gurgite rauco

Impediebat iter, quo uix superare furem is

Sæpius & cupidi spumantia flumina possent.

Manassis populum uerbis præclarus & armis

Ducebat Manahes, Gadeos inclytus Achor,

Sed Ruben Ioas bellis assuetus & armis.

Ast ubi collecto Solymorum milite portas

Ingressi fuerant omnes qui fortibus annis

Pro patria poterant ualidi pugnare salute,

Ingemuit tanto succumbens pondere tellus.

Hos citorex Saulus (quoniam mora longa nocebat)

Conuocat ut doceat mores legesq; sequendas,

Quæ ratio castris, quæ sit lex optima pugnae.

Est locus extra urbem patulus, quo millia multa

Conuenisse queant, auidus quem nullus aratro

Scindit, nec refecat curuata falce colonus,

Sunt frutices rari, nec surgit collibus altis.

Hunc postquam pugnae cupidi & uirtutis auitæ

Conuenere uiri, mediam rex inde cathedram

Conscendit fortis sua & agmina lumine lustrat,

Quæ bene perspectis tandem sic ora resoluit.

Aus

Auscultate precor ualidae uirtutis alumni,
 Et delecta deo quondam sanctissima proles
 Isacidum reprobis fallaci mente Philisteus
 Quas struat insidias, ipsis exosa deorum
 Consilijs gens crudelis, male perfida, fallax,
 Qui modo corrupto promissae foedere pacis
 Irruit, & saeva grassatur mente superbus.
 Nunc calcata iacet peregrina falce repressa
 Tempore quae fuerat nobis spes una futuro.
 Cernitis agricolas miseros, qui sedibus almis
 Pulsi spem uitae uestris posuere sub armis.
 Hostis at interea nostris nunc fulminat aruis,
 Et metit arboreos fructus, nunc pabula equorum
 Sunt segetes nostrae quondam spes maxima uitae.
 Quis ferat hos animos tandem? quis perfida coepta
 Sustineat? gentis quis possit facta proterua
 Ferre, uel ingrato quem fert sub pectore fastum?
 En seruata fide nostra gens improba, nobis
 Insurgit, propriam quae nostro munere uitam
 Sustinet, officijs tantis haec dona rependit?
 Haec ne ferenda uiris, domini quos sancta uoluntas
 Hos habitare locos iussit? quae terra parentum
 Est data promissis, proprio quam sanguine partam
 Incoluere patres, Hanc nobis Barbarus hostis
 Vastat, & in molles surgit crudelibus armis.
 O gens Isacidum fortis, num robore sancto

MONOM. DAVIDIS

Gen. 14.

Quinq; simul potuit se opponere regibus Abram
 Et pauidos hostes foelici fundere dextras?
 An Iosue potuit totum cum milite forti
 Hoc uastare solum, quamuis seui arma gigantes
 Ferrent? hic ne tibi toties iam perfidus hostis
 Hoc impune feret? quis nunc uirtutis auita
 Est memor? en quem nunc praestantia facta parentum
 Tangunt? an nullam nostrorum gloria patrum
 Incitat? ah tantam uestris depellite pestem
 Sedibus, en patria in nostra nunc Barbara tela,
 Barbarus en hostis foelicibus errat in agris.
 En miseri moucant afflicta mente coloni
 Nulla salus illis nisi quam uos fortibus armis
 Traditis, en uestra moucant quas foedere lecti
 Iunxistis nuptae, misere quas Barbarus hostis
 Abripiet captas, nisi uestris uiribus illas
 Eripitis, moueat quæso uos parvula proles,
 Vnica quæ nobis nunc spes est gentis auita.
 An uobis patriam captam uirtute potenti
 Hanc tribuere patres, ut uos formidine uicti
 Seruitium uestris natis & uincula dura
 Linquatis miseris uestris hoc pellite terris
 Omen & audacem contundite fortiter armis
 Barbarum, ut à uobis discat sua regna tenere,
 Nec petere externam patriam crudelibus ausis.
 En ego me uobis trado, me filius huius

Hea

Heres imperij sequitur, nos pectore forti
 Aggrediemur eos, tantum formidine pulsa
 Discite non causam uano praeberet timori.
 Nunc estote uiri, nunc uestris delitet armis
 Et decus & patriæ uirtus columenq; petita.

Dixit & ingenti tollens se pectoris astu
 Desilit, & uelox crepitantia corripit arma.
 Et capiti galeam cristis fulgentibus aptat
 Perspicuam grauib; gemmis auroq; micantem,
 Aurea cingebat quam splendens orbe corona,
 Fortia sed fulgens ferro sua pectora thorax
 Munit, & armillæ lucentes brachia cingunt.
 Sed femora & pulchris ocreis præstantia crura
 Includit, lateri robusto accingitur ensis.

Læua tenet clipeum, quem nemo quamlibet ingens
 Immotum potuit manibus firmumq; tenere.

Saul ualuit solus tantum qui robore uicit
 Isacides omnes, quantum leo uiribus acer
 Vincit qui in summis stabulantur montibus ursos.
 Hunc septena bouum cingebant tergora quorum

Vltima fulgebat argenti lamina, cuius
 Termino in extremo radiabat circulus auri,
 Lucidus ast umbo rigidi trepidanda leonis
 Ora tenens uana specie terrebat inertes.

Hic insculpta patrum uidisses prælia & omnes
 Quos patriam hanc propter casus pugnasq; tulere,

Arma
 Sauli.

Scutum
 Sauli.

MONOM. DAVIDIS

- Littore uidiffes stantem uirgaq; potenti
 Mergentem uirides gelidi sub gurgitis undas
 Exod. 14. Aegypti procures ipso cum principe Mosen
 Exod. 17. Hic noua percusso manabant flumina saxo,
 Num. 11. Et pia repleuit crepitantia castra coturnix.
 Exod. 17. Hinc Amalech forti committit praelia dextra,
 Et Moses grauidas tollens ad sydera palmas
 Auxilium poscit domini. Pars altera fortem
 Ostendat Iosue, qui primus Iordanis alti
 Ios. 6. Transiuit uada, qui muros Ierichuntidos altæ
 Et clamore uirum strauit sonituq; tubarum.
 Hic clari querno pendentes stipite reges
 Ios. 10. Insolito reprimunt ingentem pondere truncum.
 Iud. 4. Illic erat Iahel muliebri & robore raptum
 Malleum in aduersi librabat tempora regis.
 Iud. 6. Hic sculptus Gedeon, hic forti pectore Iephthæ,
 Iud. 11. Hic ferus immodico spectandus robore Samson,
 Iud. 14. Qui domat iratum dextra uictrice leonem,
 Iud. 15. Vrit & hostiles coniunctis uulpibus agros.
 Hic humeros tectus furibundi pelle leonis
 Ore asini putris florentes milite cæso
 Conspergit campos fugientia & agmina cædit.
 Hinc humeros magno portarum pondere pressus
 Iud. 16. Egreditur Gazan, uerum meritricis amore
 Captus ah infelix prodit cum corpore uiues,
 Parte alia mortis sumens feralia dona

Occumbit muris atq; hostibus obrutus ipsis.
 Multaq; præterea patrum monumenta priorum
 Cernere erat clipeo, quæ fulgens undiq; limbus
 Aureus ambibat, picti quo sydera cœli
 Fulgebant claro radiantia lumine scutum,
 Pleiades, Hyades, Perseus, nimbosus Orion,
 Olenium pecus, Arctophylax, Helice, Cynosura
 Et gemini fratres, aries, tum cornua taurus
 Exagitant fortis, rutilantis brachia cancri,
 Et Nemeæa fera, & molli cum uirgine libra,
 Scorpheus, arcitenens, aduersi cornua capri,
 Et puer aurata coniunctus piscibus urna.

His furit instructus telis Cisseius Heros
 Et mouet armatas acies, hunc filius acer
 Ionathan insequitur sanctæ pietatis amator,
 Nec minus ancipiti doctus concurrere pugna.
 Et ueluti pecudes inter cum turba leonum
 Irruit, eximio si forsân robore tauri
 Sunt duo qui pecoris præstantes agmina ducunt,
 Corpore prægrandes, qui cornua dura mouendo
 Exoptant hosti ualidas ostendere uires;
 Sic patre coniunctus natus duo lumina belli
 Ducunt instructas acies, atq; ordine certo
 Progressi cupiunt sortem committere pugnam,
 Inscia mens hominum, diuini nescia fati,
 Omnia cum proprijs manibus se uincere posse

MONOM. DAVIDIS

Autumat, hei uanas ludit sententia mentes.
Sic etiam nostris ducibus longe altera stabat
A summo coeli domino sententia. Non his
Auxilium uoluit telis diuina uoluntas
Tradere, sed paruis ingentes perdere uires
Viribus, & (mirandum) pastoralibus armis.

Expedi-
tio
Israelitarū.

Postquam etenim firmo gressu per florida prata
Audaces ferimur, prope cum iam castra Philisteus
Fortia sublimi fixisset uertice montis,
En depulsa metu festinans rustica pubes
Venit in occursum nobis crudelia facta
Enarrans, pecudes raptas, incendia, cades,
Auxiliumq; rogant, solito uelocius omnes
Ingredimur cupidi scelerato milite campum
Sternere & ulcisci fratrum tristissima damna.

Mons erat excelsus quondam latebrosa ferarum
Lustra tenens, rigidi nunc belli castra futurus,
Arduus ascensu, late sed uertice campus
In summo patulus poterat fulgentia Martis
Milite complecti multo temiora fixa.
Hunc rari crispam frutices aptissima causa
Insidijs leuibusq; aptius concurrere pugnis.
Occupat hunc Saulus, quoniam hinc hostilia castra
Spectari poterant aduerso in uertice fixa.
Vallis erat medio circumdata montibus altis,
Pascua leta bouum quondam, nunc commoda pugnae

Pla=

Planicies misero spargenda cruore uirorum.
 Huc cupit armatas acies Saul ducere, pugnae
 Sumpturus specimen, quare mox ordine iusto
 Instruit ille uiros, inter quos parte sinistra
 Benjamin, at dextra Iudae fortissima tribus
 Constitit, in medio Manasses, Ephraim acer,
 Et Simcon audax, Zabulonq; insignis in armis,
 Quos sequitur Ruben, praestantia at agmina claudunt
 Aser & insidijs aptus Gad, cingit at illos
 Dan animum forti praestantia robora spirans.
 Alarum turmas claudunt certare sagittis
 Qui docti fuerant ferientes eminus hostem.
 Syluis delituit ordo contactus equestris
 Vt primum coeptam turbarent impete forti
 Pugnam e transuerso figentes ora uirorum.
 Queis ita dispositis aciem fortissimus heros
 Asada deducit dextram, sed Ionathan acer
 Laeuam, quos inter medius ruspundet in armis
 Saulus & audaci fert has de pectore uoces.

Instructio
 aciei.

Abramides animis ualidi, nunc fortibus armis
 Has aptate manus, queis duos ante labores
 Pro patria à domino promissa saepe tulistis.
 Non procul hostis abest, en hoc hostilia castra
 Sunt defixa loco, pellendus milite forti
 Nunc erit, aut seruum praebendum in uincula corpus,
 Nunc memores patriae, nuptas & pignora chara

Oratio Sam
 li ad milites

NOMON. DAVIDIS

Voluite, uictrici patrios inuisere dextra
 Sit nunc cura lares. Pulchrum est audere paternos
 Defensare locos. Pulchrum est pugnando tenere
 Promissas nostris olim maioribus urbes.
 Non uos luctifica mortis, non tristis imago
 Bellorum moueat, forti quin pectoris aestu
 Pergite, nunc hosti uestras ostendite uires.
 Nunc animis opus est, nunc uos defendite telis.
 Fingite nunc nuptas, & auos, charosq; parentes
 In uestris gladijs solam retinere salutem,
 Pectori adaptetis uires & pectus ad arma.

Hæc ubi dicta dedit acies instructa moueri
 Incipit & pressam paulatim accedere uallem.
 At ueluti summis nutritus montibus ursus
 Abreptis catulis per summa cacumina fertur
 Murmure tabificum designans pectore uulnus
 Raptorem querens uncansq; hinc inde uagatur.
 Sic animo uehemens inter prima agmina Saulus
 Aestuat & magnum tacito sub corde dolorem
 Contegit & sauis contraria rumpere castra
 Exoptat manibus uix alto pectore uires
 Abscondens, tanta est pugnandi saua cupido.
 At populus uanis clamoribus omnia complens
 Fertur & obstrepero conturbat cuncta tumultus
 Utq; grues postquam pallentia frigora terris
 Insurgunt, rauca clagentes undiq; uoce

Coniunctæ uolitant hyemis mala signa futurae,
 Sic etiam armorum strepitus clamorq; uocantum
 Auditur nimius, gemit ipso pondere tellus
 Succumbens tanto, clamor caua nubila terret.

Vtq; Notus densas extollit montibus altis
 Ingratus nebulas, siccus sic puluis in altum
 Surgit & elatus splendentia nubila scandit.

Interea castris sub Barbara turba moratur
 Non efferre pedem, patulosue errare per agros
 Cernere erat quenquam, ueluti cum seua luporum
 Inclusis pavidos stabulis uis detinet agnos
 Cuncta silent illis, non acri tibia buxo
 Insonat, immani resonant nec timpana uoce,
 Non tuba dat signum, nusquam uexilla uolare
 Vidimus & nullo completos milite campos,
 Non erat hæc belli facies, sed tristis imago
 Funeris, exiguo strepitant nam murmure castra,
 Ut segetes faciunt cum flamma furentibus Euris
 Surgit & incensis crepitant cum messibus agri,
 Aut ueluti rauco montanus murmure torrens
 Fertur & oppositos truncos & robora sylue
 Sternit, saxa mouens: pavidus quæ murmura longe
 Exaudit pastor gelido cui frigore corpus
 Correptum titubat, sic tunc hostilia castra
 Incertum resonant rauco clamore uirorum.

Tunc solito citius iussit nostra agmina duci

MONOM. DAVIDIS

Saulus & ignaros hostes audacibus armis
 Aggredi & Est manibus (clamat) uictoria nostris
 Iam glomerare manum ad pugnam & crudelia tela
 Mittere conamur, stat mens concurrere ferro,
 Et rigidos armis superare potentibus hostes,
 Sed primos inter Saulus fortissimus alte
 Ingreditur manibus clipeum atq; hastilia uibrans.

Quo ruis infelix properantes sistito gressus,
 Heu caueas nimium fortis tentare Philistei
 Agmina qui clausis meditatur perfida castris.
 Quid iuuat? hei nimium prompti uelocibus ausis
 Currimus ut sæuum perdamus fortibus hostem
 Armis, uincendi iam stat sententia certa.
 Et nunc quisq; suo confirmat pectora fratri
 Consilio & monitis, iam bello imponere finem
 Speramus nimis ab in nostra pericula prompti.

Iamq; propinqua nimis fuerant hostilia castra,
 Et sua quisq; parans manibus crudelibus arma
 Mente minas gelidæ mortis uel uulnera sæua
 Concipit hostili cupiens se sanguine tingi.
 Cum subito resonant inimicis cornua castris,
 Horrida uesano reboabant timpana bombo,
 Et tuba terribili sonitu Taratantara clamat,
 Tollitur armorum strepitus, consurgit in altum
 Aera distento dimissus gutture clamor
 Et uelut emissi collisis nubibus ignes

Hora

Horrendo crepitu metuenda tonitrua reddunt,
 Talis in immensum strepitus clamorq; uirorum
 Exurgens quatit excelsi uaga nubila cœli.
 Utq; solent timidae damæ ceruicq; fugaces
 Montibus in summis subito cum cornuaratica
 Venantum resonant, inceptos sistere gressus,
 Attonitiq; sonis arrectis auribus astant:
 Sic subitus nostras clamor cum perculit aures
 Terruit exanimes, timidis uox faucibus hæsit,
 Diriguere comæ, gelido formidine membra
 Obstupuere uiris, nec quid faciamus inertes
 Nouimus, an cœpto conducat pergere cursu,
 Aut retinere gradus, multi formidine capti
 Diffugiunt, syluas uirides latebrosaq; quærunt
 Saxa, iubet cœptos gressus Cisseius heros
 Sistere & euentus belli spectare futuros.

Ecce uir immanis uasta se corporis alti
 Mole ferox tollit, quo nil monstratius unquam
 Terra tulit, dubites hominum rapidumue ferarum
 Attribuas numero, senos nam corpore longo
 Vincebat cubitos, stant alto uertice uultus
 Sanguinei, humana iam tunc quoq; cæde madentes.
 Hei mihi quis terror pallensia concutit ossa
 Cum recolo faciem, cum seui luminis orbes
 Cernere me credo, fluidos cum sanguine rictus
 Mente agito, atq; pares cum tanto corpore uires.

Goliae des-
 criptio.

MONOM. DAVIDIS

Heu mihi quantus erat, quàm seuo lumine nostra:
 Agmina lustrabat, ucluti cum torua leonis
 Lumina uolumur, paruo qui uulnere laesus
 Respicit authorem facti, micat igneus olli
 Ex oculis furor, ingentes sed pectore uires
 Concipit & longæ irritat se uerbere caudæ:
 Sic stabat dirus crudeli luminis orbe
 Enachides Goliath monstrum telluris opacæ,
 Aerea sublimi fulgebat uertice cassis
 Auricomis splendens cristis, sed pectora thoracæ
 Contegit, & corpus lorica cura trilicis
 Aenea defendit, quinq; illam pondus habere
 Millia siclorum dicunt (hinc collige uires)
 Crura tegunt ocreæ, clipeum sed læua tenebat.

Scutum
 Goltæ.

Huic erat insculptū quicquid gens impia & atrox
 Assolet in Diuos mendaci fingere lingua.
 Illic uidisses immani mole gigantes
 Montibus exstructis alios superaddere montes
 Ut possint summum cælo turbare tonantem.
 Iuppiter in summo consistens culmine cæli
 Fortia pallenti librabat fulmina dextra
 Anguipedum metuens horremia cœpta gigantum,
 Mox tamen exanimi correptus membra timore
 Fulmine proiecto cœlestia regna relinquit,
 Suntq; fugæ comites alij quos summus Olympus
 Cominet, hos sequitur pedibus uelocibus usus

Quem

Quem genit tellus nomenq; Typhoëa fecit.
 Hic quoq; mutato potuisses corpore tectos
 Cernere coelicolas cæca formidine captos,
 Iuppiter hic aries, coruus fit Delius ater,
 Fele Diana latet, capro Semeleia proles,
 Pisce Venus, foedum Cillenius induit ibi,
 Et rixosa capit niueam Saturnia uaccam.
 Parte alia summi scansuram culmina coeli
 Aedificant homines primi furialibus ausis
 Excelsam turrim, potuisses cernere multos
 Quos opus oblectat tantum, stans aureus illis
 Princeps demonstrat mores legesq; laboris.
 Hic humeris portat lapides, hic mœnia condit,
 Hic calidam sterili calcem commiscet arena.
 Talia multa tulit summi contemptor Olympi
 Artificum studijs clipeo depicta rotundo.
 Magna gigantea uibratur lancea dextra,
 Lancea, quam nemo quantumuis uiribus ingens
 Sustentare manu poterat nam nauibus altis
 Arbor erat quondam uelis satis apta ferendis.
 Ante illum tali dignus seruire magistro
 Armiger infoelix ibat, nos corde trementi
 Pallentes stetimus mirati turpia monstra.
 Ipse etiam Saulus monstrosum corporis alti
 Contemplans habitum dubia formidine captus
 Quid faciat querit, subito cum uoce tremenda

Gnc. 11.

Goliæ
pratio.

MONOM. DAVIDIS

Incipit Enachides: Quæ uos dementia uexat
Ab miseri Isacidae? quod uos fatumue Deusue
Impulit ut nostras uelletis uincere uires?
An uos nulla mei contingit cura metusue?
An uobis longæ uenerunt tædia uitæ?
Ecce Gethæus ego ualido superare lacerto
Conabor uestras acies, quis uiribus audet
Concertare meis? quod si quem regia Sauli
Continet, en tentet finem certaminis huius,
Quod si uictus ero (quod non uel Iuppiter ipse
Supremus posset) uobis seruire Philisteus
Promptus erit: Sed si (quod certum est) uictor abibo
Serui eritis nostri. Lex hæc certaminis esto.

Dixit & immani uiibrans hastile lacerto
Terruit instructas acies, nunc lumina torquet
Flammea, nunc galeam concusso uertice uibrat.
Sicut aper rapidis canibus conclusus in orbem
Dentibus infrendit, nec quem ledâtue sinâtue
Nouit, at igne micant oculi, uomit ore patenti
Candentem spumam: Goliath sic impius altum
Frendit & insano commotus pectoris aestu
Quem petat ignorat, uel quis se opponere tanto
Audeat expectat: nobis sed corda timore
Algifico trepidant, multi quos terruit ingens
Ista uiri moles fugiunt in proxima syluæ
Quæ modo seuarum fuerant caua lustra ferarum.

ipse

Ipse metu dubius princeps quid agátue sinátue
 Nescit, & ingenti turbatur pectora cura,
 Non etenim tanto possit quem opponere monstro
 Nouit, & haud uellet belli fortissima fulcra
 Tradere ut insontes caderent crudelibus armis.
 Sæpe animus suadet dubiæ certamina pugnae
 Suscipere & forti dextra superare Gethæum,
 Hoc iubet ipse pudor, prohibet sed cura pericli
 Quæ mentem terret cupidam concurrere ferro.
 Ipse etiam natus perchari stulta parentis
 Consilia obturbat precibus, ne uiribus impar
 Hostiles in se tentet committere uires.

Vtq; diu stetimus, rursus sic farier alta
 Voce gigas coepit: Quid sic hei statis inertes
 Isacidae sæui, num uos mea robora terrentes
 Vester ubi nunc est uestra fidutia gentis
 Saulus, qui tanti regni moderatur habenas?
 Outinam detur certare potentibus armis,
 Cerneret hic dignas in tanto corpore uires,
 En ubi nunc uester quem uos iactare soletis
 Est Deus? an dubia nostri formidine captus
 Delitet? aut curis fessus iugiq; labore
 Dormit? quin tandem forti defendit ab hoste?

Dixit, & admissso cursu ad nostra agmina tendit.
 Forte giganteo torquens hastile lacerto.
 Diffugiunt omnes & proxima culmina montis

Fuga Israe-
 litarum.

Conscendunt celeres: sequitur sed uiribus acer
 Immanis Goliath extrema atq; agmina cedit,
 Vulnerat hos telo saxisq; molaribus illos.
 Utq; solet fieri præceps cum monte niuoso
 Venator capreas sequitur, uelocibus illæ
 Effugium pedibus pendentes rupibus altis,
 Hic uero insequitur, semperq; ut proxima quaq; est
 Figit, & indigna disperdit cæde fugaces:

Haud aliter campos fugientum sanguine spargit
 Altigradus Goliath, pedibusq; cadauera calcans
 Currit, & immitis semper sibi proxima sternit.

Vt uero ad summi uenire cacumina monis
 Colligit afflictas acies Cisseius Heros
 Consiliumq; capit quo possit robore monstrum
 Perdere terrificum, uel quis certaminis huius
 Sustineat leges. Pudet ab tam turpiter omnes
 Effugisse uiros, unius militis armis
 Attonitos, cupret tamum depellere castris
 Dedecus & laudem regni reparare priorem.
 Omnibus è castris miles iam queritur unus
 Qui uelit & possit dirum superare gigantem.
 Splendida ponuntur uictori præmia, Regis
 Filia, quæ tantum præcellit munere uultus
 Quantum alias stellas radiantia cornua Lunæ,
 Connubio hanc stabili promittit iungere, si quis
 Horrida pugnacis deuincat tela Gethæi.

Diuitias addit regali coniuge dignas,
 Multaq; præterea pulchri monumenta laboris.
 Munera magna quidem sunt hæc quæ damur, at huius
 Non est qui cupiat consors certaminis esse.
 Sæpe aliquis uoluit laudis permotus honore
 Horrida bellaci tentare pericula dextra,
 Sæpe aliquis uoluit, quem ditia munera tangunt
 Aut amor infestus natæ, certamine duro
 Concertare uiro, sed uix conspectus ab illo
 Si fuerat, timido correptus membra tremore
 Effugit, et trepidans armis animisq; remissis
 Nondum cœpta sibi timidus certamina linquit.

Interea exultans animo nimiumq; superbus
 Impius hostis adest quoties sol aureus orbem
 Illustrat roseum, quoties uel sine dici
 Occiduas intrat radijs fulgentibus undas,
 Et petit ancipitis cupidus certamina pugnae.

Iamq; quater deno fulgebat Lucifer ortu
 Et toties umbris humentibus omnia sparsit
 Nox tristis, nec tum fuerat qui audacibus armis
 A patria seuam uellet depellere cladem.
 Castra tenet luctus, ueluti cum moenibus altis
 Ignea grassatur pestis, quam numen Olympi
 Misit ut humani castiget pectoris æstus,
 Hæc fuit incertum, nunc hunc nunc abripit illum
 Altaq; tabifico marcescunt moenia luctu.

MONOM. DAVIDIS

Haud aliter misero complentur castra dolore
Et metuunt omnes fossas ne forte per altas
Irruat armipotens inuicta mente Philisteus.

MONOMACHIAS

DAVIDIS ET GOLIAE

Liber Secundus.



IC ubi nos nimium Goliath perterruit
ingens,
Nec quisquam poterat tanto certare
Giganti,

Consilium Saulus querit num uiribus illum
Coniunctis reprimat, iubet illud causa pericli,
Sed pudor atq; hosti semper quoq; firma tenenda
Sancta fides prohibet, nostraeq; infamia gentis.

Saepe duces alij suadent ut milite iuncto
Opprimat hunc, fidei nec (clamant) esse tenenda
Iura uiro, qui non fidei pia numina curet.

Et quoties nutat nitido Sol aureus axe,
Saul toties belli fortunam querere tentans
Conuocat imperij procures, et noctis opacæ
Tempora consilij nil proficientibus illi
Consumunt, alio nam stat sententia fati.

Saepe quidem credunt sese inuenisse medelam

Et